

**www.e-rara.ch**

**Andrae Vesalii Brvxellensis, Invictissimi Caroli V. Imperatoris medici,  
de Humani corporis fabrica Libri septem**

**Vesalius, Andreas**

**Basileae, MDLV [1555]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-136975>

[Widmung]

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

# AD DIVVM CAROLVM QVINTVM, MAXIMVM, INVICTISSIMVM

QVE IMPERATOREM, ANDREAE VESALII IN SVOS

de Humani corporis fabrica libros, Præfatio.



TCVNQVE varia in artibus scientijsq; tractandis grauiter obstant, quo minus accurate perdiscantur, minusq; foeliciter in usum succedant, Carole clemētissime Cæsar, tamen haud mediocre dispendiū quoque adferre arbitror, nimium diductam disciplinarum, quæ uni cuiusque arti absoluedæ famulantur, diuisionem: & multo adhuc magis eius artis exercitiorum ad eò morosam ad diuersos artifices distributionem, ut qui artis scopum sibi præfixerunt, unam eius partem ita complexentur, ut ceteris, quæ ipsam maximopere spectant, & ab illo seiungi nequeunt, relictis, nihil unquam egregium præstent, ac propositum finem nunquam attingentes, à uera artis constitutione perpetuò declinent. Nam, ut cæteras quidem silentio præteream, & de ea quæ sanitati hominum præficitur, aliquantisper sermonem instituiam, profectò in hac, reliquarum omnium quas hominis ingenium adinuenit, longè commodissima, & in primis necessaria, perdifficiliq; ac operosa, nihil pestilentius irrepere potuisset, quàm quòd aliquando, & præcipuè post Gotthorum illuuiem, Mansoremq; Bocharæ in Persia regem (sub quo Arabes nobis adhuc cum Græcis meritò familiares uigebant) medicina eousque lacerari cœperit, quòd primarium eius instrumētum, manus operam in curando adhibens, ita neglectum sit, ut ad plebeios, ac disciplinis medicæ arti subseruientibus nequiquam instructos, id quasi uideatur esse demandatum. Quamuis enim tres medicorum sectæ olim extiterint, Logica uidelicet, Empirica, & Methodica, nihilominus tamen illarum autores, uniuersæ artis scopum, ad conseruandam sanitatem, morbosq; profligandos direxerunt. deinde huc omnia, quæ singuli in suis sectis arti necessaria existimabant, referentes, triplici auxiliorum instrumento utebantur: quorum primum, uictus fuit ratio: secundum, omnis medicaminum usus: tertium, manus opera, quæ uel præ cæteris medicinam esse deficientium additionem, & superfluum ablationem, eleganter ostendit, ac nunquam non sui usum in affectuum curatione præbet, quoties in re medica obimus, quorum beneficio hanc generi humano saluberrimam esse, tempora ususq; docuerunt. Triplex hæc medendi ratio, cuiuscunque sectæ medicis æquè erat familiaris: ipsiq; proprias manus pro affectuum natura curationi accommodantes, non minorem industriam in illis exercendis impenderunt, quàm instituendæ uictus rationi, aut medicamentis dignoscendis, ac componendis. quemadmodum præter cæteros diuini Hippocratis libros, ij liquidò arguunt, quos de Medici munere, de Ossium fracturis, Articulorum luxationib. eiusq; generis malis, omniū absolutissimè conscripsit. Quin & Galenus, post Hippocratem medicinæ princeps, præterquam quòd Pergamenensium gladiatorum curationem sibi soli cõmissam subinde gloriatur, neq; ingrauescente iam ætate, simias ab ipso secandas, famulorum opera excoriari uoluit, crebrò inculcat, quantum manus artificio oblectatus sit, quamq; studiose

diose id cum cæteris Asiæ medicis exercuerit. Imò ueterum nullus non æquè  
 attentè curationem quæ manu fit, atque eam quæ uictu ac medicamentis per-  
 ficitur, posteris tradidisse uidetur. Verùm maximè post Gotthorum uastatio-  
 nem, quando omnes scientiæ, antea pulcherrimè florentes, utq; decebat exer-  
 citæ, pessum iuere, lautiores medici primùm in Italia, ad ueterū Romanorum  
 imitationem, manus operam fastidientes, quæ in ægris manu facienda duce-  
 rent, seruis præscribere, ac illis tantùm architectorum modo astare, cœperunt.  
 Mox quum sensim ceteri quoq; ueram medicinam exercitantium incommo-  
 da detrectarent, quæstui honoriq; nihil interim subducentes, à priscis medicis  
 promptè degenerarunt, coquendi modum, omnemq; adeò uictus præpara-  
 tionem ægrorum custodibus, medicaminum compositionem pharmacopo-  
 lis, manuum uerò munus tonsoribus relinquentes. Atque ita temporis succes-  
 su, curandi ratio tam miserè diuisa est, ut medici quidem, se physicorum no-  
 mine uenditantes, medicamentorum & uictus ad reconditos affectus præscri-  
 ptionem sibi duntaxat arrogauerint: reliquam autem medicinã, ijs quos Chi-  
 rurgos nominant, uixq; famulorū loco habent, relegarint, turpiter à se, quod  
 præcipuum & antiquissimum est medicinæ membrum, quodq; naturæ spe-  
 culationi (si modò quod aliud) præcipuè innititur, depellètes: id quod tamen  
 hodie apud Indos maximè reges exercent, Persæ hæreditario iure suis liberis,  
 perinde ac quondam tota Aesclepiadum ars, tradunt, Thraces cum plerisque  
 nationibus summè colunt, ac uenerantur. ea artis parte propemodum negle-  
 cta, quam olim multi, tanquam eludendis interimendisq; hominibus excogi-  
 tatum, è Republica proscripserunt: ut quæ citra naturæ opem nihil penitus ac-  
 commodet, imò & illam alioquin in morbo à se explicando fatagentem, iuua-  
 re studens, frequenter totam pessundet, & ab officio prorsus abstrahat. Vnde  
 etiam illi potissimum debemus, quòd tot conuicijs in medicos iaci solitis, hæc  
 sacratissima ars eluditur: quum tamen ipsius pars, quam liberalibus disciplinis  
 instituti, à se turpiter diuelli sinunt, præcipua laude illam perpetuò illustret.  
 Quando enim ingeniorum fons Homerus medicum uirum multis præstan-  
 tiorem esse affirmat, & cum uniuersis Græciæ poetis Podalirium & Machao-  
 nem celebrat, hi diui Aesculapij filij non ideo prædicantur, quòd febriculam,  
 & quæ sola Natura, absque medici auxilio leuius, quàm illo adhibito, plerunq;  
 sanat, remouerent, hominum ue palato in reconditis deploratisque affectibus  
 subseruirent: sed quia luxationum, fracturarum, contusionum, uulnerum, &  
 reliquarum continuitatis solutionum, sanguinisque fluxus curationi potissi-  
 mùm præessent, ac spiculis, telis, atque alijs eiusmodi malis (quæ bella in pri-  
 mis inferunt, diligentemque medici operã semper expetunt) generosissimos  
 Agamemnonis milites liberarent. Verùm haudquaquam unum medicinæ  
 instrumentum alijs præferre proposui, quum triplex dicta auxiliorum ratio  
 minimè disiungi distrahiq; possit, & tota ad unum artificem attineat: atque ad  
 hanc ut debite exequatur, omnes medicinæ partes ex æquo ita constitutæ pa-  
 rataq; sint, ut singula eo felicius in usum referantur, quo quis cumulatius om-  
 nia inuicem iungat. Quamuis etiam rarus omnino morbus occurrit, qui non  
 statim triplex præsidiorum instrumentum requirat: itaq; opportuna uictus ra-  
 tio instituenda, & medicamentis, ac demum manu aliquid moliendū sit. adeò  
 ut huius artis tyrones modis omnibus hortandi ueniant, ut illorum (si Dijs pla-  
 cet) physicorum susurros uilipendètes, Græcorum more, ac quemadmodum  
 artis natura & ratio penitus præcipit, manus quoque curationi admoueat, ne  
 laceram deinceps medicinam, in communis hominum uitæ perniciem con-  
 uertant.

uertant. Atque hoc eo instigandi sunt diligentius, quo in arte integrius hodie eruditos, à manus opera, tanquam à peste, ideo praesertim abstinere cernimus, ne à medicorum Rabinis apud indoctam plebem pro tonsoribus traducatur, ipsisq; postmodum neque par cum istis uix dimidiatò medicis quaestus, neque honor, neque apud imperitum uulgus & principes quoq; aestimatio accedat. Hæc etenim detestabilis multorū opinio in primis remoratur, quo minus totum curandi artificium, uel hoc etiam seculo assumamus, & interiorum affectuum curationem duntaxat nobis asciscentes, magna mortalium noxa (ut semel uereq; dicā) modica solūm ex parte, medici esse studeamus. quippe quum primūm ad pharmacopolas uniuersa medicamentorum compositio relegaretur, mox etiam medici impense ipsis necessariam simplicium medicaminum cognitionem amiserunt: atque ut tot barbaris uocibus, & falsis etiam pharmacis officinae scaterent, totq; elegantissimæ ueterum compositiones nobis pariter deessent, ac adhuc complures etiam lateant, autores fuere: & inexhaustum denique laborē pararunt cum ætatis nostræ, tum qui ante annos aliquot hanc præcessere eruditissimis uiris, indefesso studio simplicium medicamentorum cognitioni sic incumbentibus, ut illam pristino nitore restituere conati, plurimum cōtulisse uideantur. Cæterum peruersissima hæc curationis instrumentorum ad uarios artifices diductio, adhuc multo execrabilius naufragium, ac longè atrociorē cladem præcipuæ naturalis philosophiæ parti intulit: cui, quum hominis historiam complectatur, firmissimumq; totius medicæ artis fundamentum, ac constitutionis initium iure habenda sit, Hippocrates & Plato tantū tribuerunt, ut illi inter medicinæ partes primas esse adscribendas non dubitarint. Hæc namque cum prius à medicis unicè excoleretur, ipsiq; in hac adipiscēda omnes neruos intenderent, tum demū miserè collabi cœpit, quum ipsi manuum munus ad alios reijcientes, Anatomē perdididerunt. Dum enim medici solam interiorum affectuum curationē ad se pertinere autumabant, uiscerum duntaxat cognitionē sibi abundè sufficere arbitrati, ossium, musculorum, neruorum, uenarum, arteriarum quæ ossa musculosq; perreptant, fabricam, ueluti ad ipsos non spectantem, neglexerunt. Ad hæc, quum uniuersa administratio tonsoribus committebatur, non solūm uera uiscerum cognitio medicis perijt, uerūm etiam dissecādi industria prorsus intercidit: eo quod scilicet hi resectionem non aggredierentur: illi uerò, quibus manus artificiū delegabatur, indoctiores essent, quàm ut dissectionis professorum scripta intelligerent: tantum abest, ut difficillimam artem, manu ipsis traditam, id hominum genus nobis asseruaret, utq; hæc deploranda curatiuæ partis dispersio, detestabilem ritū in Gymnasijs non inueheret, quo alij humani corporis sectionem administrare, alij partium historiam enarrare consueuerunt. his quidem graculorum modo, quæ nunquam aggressi sunt, sed tantūm ex aliorum libris memoriae commendant, descripta ue ob oculos ponunt, altè in cathedra egregio fastu occinentibus: illis autem adeò linguarum imperitis, ut dissecta spectatoribus explicare nequeant, atque ex physici præscripto ostendenda lacerent, qui manu sectioni nunquam adhibita, tantum ex commentario nauam non sine supercilio agit. Atque ut sic omnia perperam docentur, ac ridiculis quaestionibus dies aliquot abeunt: ita quoq; spectatoribus in illo tumultu pauciora proponuntur, quàm lanus in macello medicum docere posset. ut eas præteream scholas, ubi de humani corporis compage resecāda uix unquam cogitatur: usque adeò uetus medicina à pristino decore ante plures annos desciuit. Porro quum illa iam pridem in tanta huius seculi (quod tuo numine prudenter moderari

AD CAROLUM V. IMPERATOREM

derari uolunt superi) felicitate cum omnibus studijs ita reuiuiscere, atq; à profundissimis tenebris caput suum erigere cœpisset, ut ueterem candorem citra controuersiam in nonnullis Academijs propemodum recuperasse uideretur, nihilq; illa impensius adhuc desideraret, ac prorsus emortuam humani corporis partium scientiam, ipse tot præstantiũ uirorum exemplo prouocatus, huic pro mea uirili, ac ijs quibus possem rationibus opem ferendam duxi. & ne, omnibus aliquid communium studiorum gratia tanto successu attentantibus, solus torpescerem, aut etiam à meis progenitoribus, non obscuris sanè medicis, degenerarem, hoc naturalis philosophiæ membrũ ita ab inferis reuocandum putauit, ut si non absolutius apud nos, quàm aliàs unquã, apud priscos dissectionum doctores uersaretur: eò tamen pertingeret, ut aliquando haud puderet asserere, nostram dissectionis rationem cum antiqua illa conferri posse: hacq; tempestate nihil simul ita collapsum, moxq; integritati restitutum, ac Anatomem fuisse. Verùm id studium neutiquam successisset, si, quum Parisijs medicinæ operam darem, huic negotio manus non admouissem ipse, ac obiter mihi & consodalibus à quibusdam tonsoribus in una atque altera publica sectione uisceribus aliquot superficietenus ostensis, acquieuissem. adeò enim perfunctoriè illic, ubi primùm medicinam prosperè renasci uidimus, Anatome tunc tractabatur, ut ipse in brutorũ aliquot sectionibus meo Marte exercitatus, tertiam, cui unquam mihi adesse contigit, sectionem (quæ circa uiscera solùm potissimumq; ut illic moris fuit, uersabatur) solito absolutius, & commilitonum & præceptorũ hortatu adductus, publicè administrarẽ. Quum autem secundo illam aggrederer, musculos manus cum accuratiori uiscerũ dissectione conatus sum ostendere. præter octo enim abdominis musculos turpiter, peruersoq; ordine laceratos, nullũ unquam musculum, ut neq; etiam os aliquod, multoq; minus adhuc neruorũ, uenarum, & arteriarũ seriem, quisquã mihi (quod uerè dixerim) cõmonstrauit. Mox Louanij, quò ob belli tumultus mihi redeundum fuerat, quòd illic decẽ & octo annis de Anatome ne somniauerãt quidem medici, utq; de eius Academiæ studiosis bene mererer, ac ipse in re prorsus abdita, & mihi ad uniuersam medicinã apprimè necessaria, peritior redder, accuratius paulo quàm Parisijs, humanã fabricam ita inter ressecandũ enarraui, ut iuniores eius Academiæ professores nunc magnũ, atq; adeò serium in hominis partibus dignoscendis studiũ impendere uideantur, probè intelligentes, quàm egregiam philosophandi supellectilẽ earum notitia ipsis suppeditet. Porrò Patauij in clarissimo totius orbis gymnasio, quia ad medicinæ chirurgicæ professionẽ mihi iam annis quinq; ab illustrissimo, & erga doctrinarũ studia longè liberalissimo Senatu Veneto concreditã, Anatomes tractatio pertinet, eam in hominis constructione inquirenda nauaui operã, ut modò sæpius hanc ita administrauerim, ridiculoq; scholarũ more expulso, sic docuerim, ut in ipsa nihil quod à ueteribus proditũ ad nos peruenit, desiderare possimus. At medicorum segnities nimiũ cavit, ne Eudemi, Herophili, Marini, Andreae, Lyci, ac aliorũ dissectionis procerũ scripta nobis reseruarẽtur, quum ne fragmentum quidẽ alicuius paginæ supersit tot illustriũ autorum, quos uel Galenus secundo cõmentario in Hippocratis librũ de Natura humana, plures uiginti cõmemorat: imò & ipsius Anatomicorũ librorum uix dimidia pars ab interitu est uindicata. Qui uerò Galenũ sunt secuti, in quorũ classẽ Oribasium, Theophilum, Arabes, & nostros quotquot legere hætenus mihi contigit, recenseo (illorũ bona scripserim uenia) omnes, si modò quid lectu dignũ tradiderunt, ex ipso id sunt mutuati. & per Iouem studiose secanti, nihil unquam minus ag-

gressi

ANDREAE VESALII PRAEFATIO.

gressi uidentur, quàm corporum sectionem: adeò mordicus horum primarij nescio cui dicendi generi, aliorumq; in resecãdo oscitantia fidentes, Galenum in dispendiosa cõpendia turpiter redegerunt, nunquã ab illo, dum ipsius sensã assequuntur, ne latũ quidem unguem recedentes: imò librorũ frontibus adijciunt, ipsorũ scripta è Galeni placitis penitus confarcinata, suaq; illius esse omnia. Atq; ita huic uniuersi fidẽ dedere, ut nullus repertus sit medicus, qui in Galeni anatomicis uoluminibus uel leuissimũ quidem lapsum unquã deprehensum esse, multoq; minus deprehendi posse censuerit: quum interim (præterquam quòd Galenus se frequenter corrigit, suamq; negligentia in quibusdam libris cõmissã, in alijs, postea exercitator redditus, non semel indicat, contra riaq; subinde docet) nobis modò ex renata dissectionis arte, diligentiq; Galeni librorũ prælectione, & in plerisq; locis eorundẽ non pœnitenda restitutione cõstet, nunquã ipsum, nuper mortuũ corpus humanũ resecuisse. At uerò suis deceptum simijs (licet ipsi arida, ac ueluti ad ossium inspectionẽ parata hominum cadauera occurrerint) crebrò uetères medicos, qui hominũ confectionibus se exercuerãt, immeritò arguere. Quin etiam quamplurima apud illũ inuenias, quæ in simijs quoq; minus rectè est assecutus. Vt taceam, mirandũ esse maximè, in multiplici infinitaq; humani corporis organorũ ad simiam differentia, nullam ferè nisi in digitis, ac poplitis flexu, Galenũ animaduertisse: quam cum cæteris procul dubio omisisset, nisi citra hominis dissectionẽ ipsi fuisset obuia. Verũ in præsentia haudquaquam institui, falsa Galeni, dissectionis professorũ facilè primarij, dogmata perstringere: multoq; adhuc minus in ipsum bonorum omniũ autorem, mox initiò impius, suæq; autoritatis parum obseruãs haberi uelim. Haud enim ignoro, quàm medici (longè secus quàm Aristotelis sectatores) turbari soleant, quum multo sæpius quàm ducẽtes à uera hominis partium harmonie, usus functionisq; descriptione, Galenũ declinasse, in unius, quam modò in scholis exhibeo, Anatomes administratione, obseruant, toruè interim, & summo defendendi studio, dissecatas particulas expendẽtes. Quamuis & hi ueritatis amore ducti, paulatim inde mitescant, suisq; oculis ac rationibus non inefficacibus plus fidei, quàm Galeni scriptis adhibeant: hæc uerè paradoxa non ex aliorũ conatibus emedicata, neq; autoritatũ congerie tantum firmata, huc illuc ad amicos tam sedulò perscribentes, & ad illorũ inspectionem, ac demum ad uerè Anatomes cognitionẽ, adeò sollicitè & amicè hortantes, ut spes sit, hanc breui in omnibus Academijs ita excolendã, quemadmodum in Alexandria olim exerceri consueuit. Quod quo felicioribus Musarũ auspicijs succedat, quantũ in me fuit, præter illa quæ aliàs huius argumenti in lucẽ edidi, & quæ plagiarij quidã, me procul à Germania absentẽ arbitrati, tanquam sua illic emiserunt, iam de integro humani corporis partiũ historiam eo ordine in septem libros redegi, quo in hac urbe, & Bononiæ, & Pisis, in illo eruditorũ uirorum cœtu ipsam pertractare soleo. Hac siquidẽ ratione, qui secanti adfuere, demonstratorũ habebunt cõmentarios, cæterisq; leuiori negotio Anatomem ostendent. Quanquã alioquin & his, quibus inspectio denegatur, minimè futuri sint inutiles, quum cuiusq; humani corporis particulæ numerum, situm, formam, substantia, ad alias partes connexũ, usum, munus, ac eiusmodi permulta, quæ in partiũ natura dissecantes rimari consueuimus, unã cum mortuorũ uiuorumq; resectionis artificio, satis diffusè persequãtur, & partiũ omnium imagines sermonis contextui insertas ita contineant, ut ueluti dissectũ corpus operum Naturæ studiosis ob oculos collocent. Ac primo quidẽ libro omnium ossium cartilaginumq; naturam enarraui, quæ, quòd illis reliquæ partes sufful-

AD CAROLUM V. IMPERATOREM

ciantur, & secundum hæc describantur, ab Anatomes studiosis primùm cognoscenda ueniunt. Secundus liber ligamenta, quorū beneficio ossa cartilagineſq; inuicem connectuntur, & dein musculos, motus è nostro arbitratu pendentiſ opifices, cōmemorat. Tertius, uenarum quæ musculis & ofsibus, cæterisq; particulis familiarē, quo enutriantur, sanguinem deferunt, ac dein artiarum, insiti caloris spiritusq; uitalis temperiem moderantiū, frequentissimam seriem cōplectitur. Quartus non modò neruorum, qui musculis animalē spiritum perferunt, sed & reliquorū quoq; omnium propagines edocet. Quintus organorū nutritioni, quæ potu & cibo perficitur, famulantiū constructionem tradit: ac insuper ob sedis uiciniam, instrumenta etiam cōtinet, ad speciei successionem à summo rerū Opifice fabricata. Sextus cordi uitalis facultatis fomiti, ipsiq; subministrantibus particulis dicatur. Septimus uerò cerebri & sensus organorū harmoniam ita persequitur, ut illic neruorum à cerebro originem ducentiū series quarto libro expressa, non repetatur. Quippe in horum librorum ordine digerendo, Galeni sententiā sum sequutus, qui post musculorum historiam, uenarū, artiarum, neruorum, & dein uiscerum Anatomem pertractandam duxit. Quantumuis non ineptè, ac potissimū apud huius scientiæ tyronem, aliquis cum uasorū distributione, uiscerum cognitionē ita persequendam contendet, quemadmodū in Epitome præstiti: quam ueluti horum librorum semitam, ac in illis demonstratorum indicem præparauit, serenissimi Principis Philippi, Maiestatis tuę filij, uiuicq; paternarum uirtutum exemplaris, splendore decoratā. Verūm hīc quorundā iudicium mihi succurrit, qui nonduntaxat herbarū, sed & humani corporis partium quantumuis etiam exquisitissimas delineationes, rerum naturaliū studiosis proponi, acriter damnant: quòd has non picturis, uerūm sedula refectione, rerumq; ipsarum intuitu disci oporteat. perinde sanè, ac si hoc nomine uerissimas, et utinā à typographis nunquam deprauandas partiū icones, sermonis contextui adhibuissem, ut studiosi illis freti, à corporū sectione temperarent: ac non ijs potius, quibus possem modis, medicinę candidatos ad cōsectiones proprijs manibus obeundas hortarer. Profectò si ueterū, qui pueros domi in cōsectionibus administrandis, perinde atq; in pingendis elemētis & lectione exercebant, cōsuetudo huc usq; deducta fuisset, non picturis modò, uerūm & omnibus cōmentarijs, perinde atq; ueteres illos, facilè nos carere permetterē: qui tum primùm de Administrandis dissectionibus scribere sunt aggressi, quum non liberis solū, sed alienis etiam uiris, quos uirtutis nomine suspiciebant, artem cōmunicare, honestum esse censuerunt. Cum primùm enim pueri non amplius in sectionibus exercebātur, protinus necessariò accidit, ut Anatomem infelicius discerēt, exercitatione, quam in pueritia auspiciari solebant, abolita. Adeò ut quum ars Asclepiadū familia excidisset, multisq; seculis in deterius uergeret, opus fuerit libris, qui speculationē ipsius integram conseruarent. Quantum uerò picturæ illis intelligendis opitulentur, ipsoq; etiam uel explicatissimo sermone rem exactius ob oculos collocent, nemo est qui non in geometria, alijsq; mathematū disciplinis experiatur. Vtcunq; uerò sit, toto opere id unicè studui, ut in negocio longè reconditissimo, neq; minus arduo, quam plurimis prodessem, humaniq; corporis fabricæ non decem, aut duodecim (uti obiter spectāti apparet) sed aliquot mille diuersis partibus extructæ historiā, quam uerissimè & absolutissimè pertractarem, ac intelligendis huius doctrinæ Galeni libris, inter cætera ipsius monumenta, præceptoris operā maximè requirētibus, non spernendam frugem medicinæ candidatis adferrem. At interim non me latet, quàm conatus iste, meæ ætatis, qua

ANDREAE VESALII PRAEFATIO.

qua uigefimum octauum annum nondum exceffi, occasione, parum autoritatis habebit, ac quāminimè ob crebrā non uerorum Galeni dogmatū indicatio nem, ab illorū morfibus erit tutus, qui, perinde ac nos in Italicis scholis, Anato men sedulo non sunt aggressi, quosq; iam senes inuidia ob iuuenū rectè inuen ta tabescētes, pudebit cum ceteris Galenū subsecutis, haētenuſ cęcutiuiſſe, eaq; quę modò proponimus, etſi magnū ſibi in arte nomen arrogent, non animad uertiffi, niſi magno alicuius numinis patrociniſ ex more commendatus, in lu cem auſpicatò prodeat. Verū quia maiori nullo, quā diui Caroli, inuictiſſi, maxi miq; Imperatoriſ, nunquā inter morituro nomine tutius muniri, ſplendi diuſq; ornari poteſt, tuam Maiēſtatē obſecro, ut iuuenile hoc meū ſtudiū, mul tis rationib. cauſiſq; ſibi obnoxiū, ſub ipſius ductu, ſplendore, ac patrociniſ, in hominū manibus tantisper uerſari ſinat, donec per rerū uſum, ac quod ætate creſcit iudiciū, eruditionemq; hūc laborē ſummo optimoq; Principi dignum reddā, aut aliud non reiſciēdum aliūſ ex arte noſtra deprompti argumenti mu nus offerā. Quamuis augurer, ex uniuerſa Apollinea diſciplina, adeoq; tota na turali philoſophia, nihil tuę Maiēſt. gratiſ acceptiſ uel pro cudi poſſe, hiſtoria, qua corpus & animū, ac præterea diuinū quoddā numen ex utriuſq; ſympho nia, & noſmetipſoſ deniq; (quod uerè hominiſ eſt) cognoſcimus. Atq; ut id plu ribus colligo argumētis, ita inde in primis cōijcio, quòd in illa librōrū frequen tia, quę felicis memorię Maximiliano Rom. maximo Imperatori, auo tuo, cōſe crati fuere, nulluſ præſentis negocij libello unquā gratiſ extiterit. Neq; unquā obliuiſcar, qua uoluptate tabulāſ meāſ Anatomicāſ inſpexeriſ, quāq; curioſe de ſinguliſ percūctatuſ ſiſ, quāſ pater meoſ Andreas, Maiēſt. T. à pharmacis pri mariuſ iuxta ac fideliffimūſ, aliquando intuendāſ obtulit. Ut nūc prætereāſ incredibilem illū, ut in omneſ diſciplinaſ, ita etiā multo maximè in mathema ticaſ, & præſertim eiūſ quæ mundi aſtrorūq; ſcientiāſ pertractat, amorem, & in tāto heroe admirabile eiūſ peritiāſ. Adeò, ut haud fieri queat, quin ut mun di ſcientia unicè teneriſ, ita etiā aliquādo omniūſ creaturāſ abſolutiffimę fabricatione expendenda delecteriſ, & immortalis animæ diuerſorio inſtru mentoq; cōſiderando uoluptatēſ capiaſ: quod quia permultiſ nominibuſ mun do egregiè correſpōdet, ueteribuſ haud ab re paruſ munduſ nuncupabatur. Cæterūſ, uti modò homini digniffimāſ ſui corporiſ ſtructuræ cognitionem, per ſe longè cōmendatiſſimāſ, & cui tāto opere uel Romę ſummoſ uiroſ, tum rebuſ, tum diſcipliniſ philoſophicis per omnia præcipuoſ, operam impendere iuuit, minimè hic prædicandāſ ſtatui: ita quoq; Magni illiſ Alexandri, qui non niſi ab Apelle pingi, à Lyſippo in ære duci, & à Pyrgotele ſculpi uoluit, probè memor, multo minus hic laudum tuarūſ aliquid recenſendūſ duxi, ne ieiuna & parum exercitata oratione, illiſ pro luce tenebraſ offundāſ. præſertim quūſ proſuſ improbanduſ ſit, nimium receptuſ in Præſationibuſ rituſ, quo abſque omni delectu, & ferè præter meritum, ueluti ex typo & formula quāpiam, ui liſ alicuiuſ præmioli gratia, omnibuſ aſcribi ſolēt, ſuſpicienda doctriſna, ſingu laris prudentia, mira manſuetudo, acre iudiciūſ, indefeſſa liberalitaſ, erga lite ratoſ & ſtudia miruſ amor, in rebuſ agēdiſ matura celeritaſ, omniſq; adeò uir tutum chorus, quo tuāſ maiēſtatem non minus quāſ dignitate, ac felicitate, rerūq; geſtarūſ triumphis uniuerſoſ mortaleſ anteire, nulluſ non (quam uis hic à me non dicatur) perſpectiffimūſ habet. unde etiā ſummi numiniſ loco adhuc uiuioſ coleriſ: quod ut Diſ ſtudiſ & toti orbi non inuideant, ſed diu tiſſimè mortalibuſ incolume, perpetuoq; felix ſeruent ac tueantur, precor. Pa tauij. Calend. Auguſti, Anno poſt natum Chriſtum M. D. XLII.

Quoniam Epistola, quam unà cum Tabulis, ad hosce de Humani corporis fabrica libros & ipsorum Epitomen paratis, ab Andrea Vesalio ex Italia missam accepimus, pleraque continere nobis uisa est, quorum alioquin Lectorem inuitò admonendum putassemus, quæque Typographis, præcipuè ita parui Principum decreta pendentibus, & ad ea quæ in rei literariæ usum euulgantur deprauandam natis, significanda uidebantur: operæ precium duximus, illam ita quoque, uti ad nos missa est, candidis Lectoribus communicare.

## IOANNI OPORINO, GRÆCARUM LITERARUM

APVD BASILIENSES PROFESSORI,

amico charissimo suo.

S.



CCIPIES propediem, mi Oporine, per Mediolanenses mercatores Danonos, tabulas ad meos de Humani corporis fabrica libros, & eorundem Epitomen sculptas. Utinam tam integrè ac tuto Basileam perferantur, atque sedulo cum sculptore, & Nicolao Stoppio, in humanioribus studiis apprime uersato iuuenes, eas composui: ne aliqua ex parte atterantur, aliud ue incommodum ipsis uectura inferat. Inter tabularum seriem exemplar frustatim reposuimus, simul cum impresso singularum figurarum typo, cui quoque loco reponenda ueniat, ascripsi: ne forte illarum ordo ac dispositio tibi tuis ue operis negocium facefferet, figuræque non ordinatim imprimerentur. In exemplari promptè discernes, ubi genus characterum sit immutandum. quandoquidem scripturæ partem, quæ organorum historiam cõplectitur, continuoque orationis contextu singulis capitibus absoluitur, lineis ab ea distincti, quæ ad characterum qui in tabulis sculpti occurrunt, explicationem iuuat: ob idque figurarum & earundem characterum Index appellatur. In continua orationis serie, nusquam figuris indicandis interrupta, literulas expendes, quas in officinis superlineares nuncupatis: quæ illis respondent annotationibus, quas interiori margini non tanta industria, quanto labore & tadio, adhibui, ut lectori uelut scriptorum essent commentarius, exprimens in quâ nam potissimum figura pars, cuius mentio incidit, spectari possit: uti annotationes in exteriori margine obuia, eorum quæ enarrantur seriem & argumentum quodammodo proponunt. In interioribus, ne essem prolixior, eam rationem obseruaui, ut quotiescunque figura indicatur, quæ capiti, ubi annotatio spectatur, præfixa est, nullum capitis numerum indicem: quem alioquin appono, si figura alteri præponatur capiti. Rursus, si figura in libro ubi annotatio occurrit, inueniatur, libri numerum figuræ haud subycio. Quamobrem uero figuræ hoc illo ue loco collocandas duxerim, in librorum titulis, & characterum ferè indicibus explicatum reperies. Notarum enim, quibus partes in delineatione quapiam insigniende fuerunt, loco, characteres, quorum in officinis perpetuò usus est, in tabulis sculptissimus: primum ferè à maiusculis, & dein alijs Latinorum orsi: insuper Græcorum minoribus, mox ab eorundem grandioribus, qui Latinis non sunt familiares. Quum uero hi omnes non sufficeret, numerorum typos assumpsimus, & si quæ alia notula in communibus typis occurreret. In horum indicum descriptione obseruatum est, ut indicans, unamque priuatam explicationem habens character, in margine liber collocetur: si uero peculiarem non habeat indicem, ac ueluti cum alio characterè exprimat, ipsi punctum in margine subiecti, ut unâ cum cæteris lectori in serie obuius fieret. Verum nunc ijs quibus possum modis hortor, & rogo pariter, ut omnia quam nitidissime & ocys excudantur: utque in meis conatibus expectationi, quam omnes de tua Officina, nunc primum magno studio forum commodo, feliciq; Ausarum omine instituta conceperunt, satisfacias. Præcipuum studium in tabularum impressione erit impendendum, quod non uulgariter ac scholasticè, uelutque simplicibus duntaxat lineis sint expressæ: nusquam picturæ ratione (si interdum locum, quo res delineatæ suffulcitur, excipias) neglecta. Et quanquam hic iudicio ualeas, nihilque non de tua industria & sedulitate mihi pollicear, hoc unum percuperem, ut inter excudendum id exemplar quam proximè imitaueris, quod à sculptore speciminis sui loco impressum, unâ cum ligneis formis reclusum inuenies. ita enim nullus character, quantumuis etiam in umbra reconditus, oculatum sedulumque lectorem latitabit. & quod in hac pictura longe est artificiosissimum, mihiq; spectatu perquam iucundum, linearum in quibusdam partibus crassities simul cum eleganti umbrarum obsuscatione apparebit. Verum non est quod hæc tibi præscribam, quum in papyri leuitate & densitate, ac in primis in uestrarum operarum diligentia positum sit, ut singula nitidissime ex tua Officina omnibus proponantur, multisque fiant communia. Dabo operam, ut non ita multo post ad uos proficiam, & si non toto impressionis tempore, saltem aliquandiu Basileæ commorer, mecum formulam decreti Senatus Veneti allaturus, quo cauetur, ne quis tabularum aliquam absque meo consensu imprimat, aut quauis ratione meorum scriptorum quicquam imitetur. Cesaris, quantumuis tu generale in omnes libros, quos primus imprimis, habeas, mater mea ad te Bruxella mittet. dudum enim mihi impetratum

## EPISTOLA.

erratum fuit: sed ut recentius esset, ad pluresq; annos utile, haecenus non curauimus describendum. Regis Galliae, se mihi adepturum recepit ipsius apud Venetos Orator, Nonnissuli antistes. Licet hac ex parte parum sim anxius: imò diplomatum exemplaribus ne paginam quidem occupandam duxerim. Nam quid Principum decreta apud bibliopolas, & in omnibus angulis nunc densissime sotos typographos ualeant, abunde in meis Anatomicis tabulis, ante annos tres Venetis primùm impressis, & postmodum misere passim deprauatis, maioribusq; interim titulis exornatis, est animaduertere. Augusta enim, mea nuncupatoria subducta epistola, nescio quis rabula Germanicè est praefatus, & praeter meritum in Auicennam, reliquosq; Arabes blaterans, me inter quosdam succinctos Galenos connumerat, & (quo emptori fucum faceret) me coegisse in sex tabulas falso asserit, quae Galenus pluribus quàm triginta libris diffuse complexus est. Dein Latina se Germanico idiomate donasse subiungens, attestatur Graecas & Arabicas uoces ab ipso adhibitas: quum interim non solum tales omnino subduxerit, sed ea ex reliquo orationis contextu omiserit, quae conuertere nequiuit, quorumq; nomine tabulae in primis debebant esse commendatiores. praeterquam quòd Venetam sculpturam peruersè istic sunt imitati. Hoc Augustano sculptore longè rudior imperitiorq; extitit, qui Coloniae isdem tabulis manum admouit: quantumuis illic nescio quis in typographi gratiam scribat, non tantum ex meis tabulis hominis constructionem melius quàm ex humana fabricae refectione intueri posse, uerùm etiam ipsos ex elegantissimis figuris fecisse multo elegantiores: quum tamen & picturam ualde corruerint, & neruorum delineationem parum feliciter imitam adiecerint, quàm ego characterum adhibito indice, uni atq; alteri amico, qui id tantisper dum ipse eam ederem, à me expectebant, ruditer delineaueram. Parisijs tres priores eleganter expresserunt, alijs interim propter sculpturae (uti conijcio) difficultatem & in Latina & Gallica editione, omisiss: quum potius à prioribus, si studiosorum habenda erat ratio, abstinendum fuisset. Ceterum apud Argentinenfes quidam plagiarius de studijs pessimè est meritus, quòd meas tabulas, quae alioquin nunquam satis magna studiofis proponi poterunt, tam fæde contraxerit, & turpissimè pictas, ac praeter omnem rationem circumsriptas, cum Augustani uersione emisserit. Huius gloria is inuidere uisus est, qui undecunq; citra delectu compilatis ex aliorum libris, imaginibus, Carpurgi & Francofordiae eius generis libros adhuc emittere pergit. Adèò ut diuina illa & felicissima Italorum ingenia leuiter feram, & ualde exosculer, quòd aliud in plerisq; Germaniae medicis iudicium ob sordidorum quorundam typographorum mancipia requirant, quae nullum non scripti genus, uilis alicuius praemioli à typographis emungendi gratia, absq; omni delectu contrahere, emutare, transcribere, suoq; nomine, ut nouum quid editum uideatur, decretaq; Principum sileant, emittere audent. Haec eo scribo, ut intelligas, quàm parum illa impressioni tuae adhibenda putauerim. quin potius significandum duxerim, me multo lubentius tabulas alicui industrio typographo quocunq; transmissurum, quantumq; in me esset, operam meam in rei literariae usum communicaturum: quàm ut ineptus aliquis, cui pro mea uirili rationibus omnibus obesse conabor, tabulas tanto labore in communem studiorum usum confectas imitaretur: illeq; turgido quopiam praefixo titulo, cum dispendiosa quorundam meae corporis humani historiae contractione, in hominum manus uenirent. Atq; haec potissima est causa, cur tabulas meo sumptu parauerim: ac nunc iterum atq; iterum abs te contendam, ut quàm integerrimae & mundissimae à tuis operis seruentur. Vale. Venetis, nono Calendas Septembres.

Tuus And. Vesalius.